

21. Quoad alterum Nestorianae hereseos mem-  
brum, de quatuor nimirum Unionis modis, quos  
Nestorium docuisse refert Iesuita: libenter sanè,  
quoad primos tres assentimur Iesuita, ita tamen,  
ut non tam ipsum Nestorium, quam eos, qui he-  
resin ejus defendendam susceperunt, modos illos  
tradidisse statuamus.

22. In descriptione verò quarti modi, ὕπῳ  
aliquid fovet Iesuita, ac nostrarum Ecclesiarum  
Confessioni obeliscum subdolè figit: Nestorianos  
docuisse scriptitans, Filium Dei Filio  
hominis unitum fuisse secundum partici-  
pationem, quia Verbum homini imperti-  
verit nomen & dignitatem suam, ut nimi-  
rùm DEVS & DEI filius vocaretur, &  
ab omnibus creaturis adoraretur, non pro-  
pter se, sed propter eum, à quo assumptus  
fuerat.

23. Fide omni historicâ caret assertio hæc Iesui-  
tica, ex mero maledicendi studio profecta: imò  
prorsus ἀσύστατος & ἀντιφατική.

34. Quod si enim (ex assertione Iesuitica) Ne-  
storius credidit & docuit, ita Verbum unitum esse  
hominis, ut nomen & dignitatem suam ei imper-  
tiverit, ut DEVS, & DEI filius vocaretur,  
ut ab omnibus creaturis adoraretur: Quâ obsecra-  
tione stabit illud, quod ex Socrate, & univer-  
sa historia Ecclesiastica supra ostendimus, nempe  
Nestorium noluisse admittere, ut Maria Θεοτόκος  
appellare